LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS

Studia Ovidiana.

Dissertatio Inauguralis

Quam

Consensu Et Auctoritate

Amplissimi Philosophorum Ordinis

In

Alma Litterarum Universitate Gryphiensi

Ad

Summos In Philosophia Honores Rite Capessendos

Die XXVII. M. Aprilis A. MCMV H. XII.

Una Cum Sententiis Controversis

Publice Defendet

Auctor

Arthurus Laudien
Bartensteinensis.

Adversariorum Partes Suscipient:

Gualtherus Schievelbein, cand. phil.
Gerhardus Kropatscheck, stud. phil.

Gryphiae MCMV.
Ex Officina H. Adler.

Consenu et auctoritate ordinis philosophorum dissertationem typis expressam esse testatur

A. Gercke
ordinis philosophorum h. a. decanus.

Ad ordinem philosophorum de comprobanda dissertatione rettulit

A. Gercke, professor p. o.

PARENTIBUS CARISSIMIS

SACRUM.

Hoc opere duo capita retractantur commentationis, cui inscriptum erat: „De dispositione Ovidii fontibusque ad conscribendas Metamorphoses adhibitis“, a philosophorum ordine propositae atque a. MCMIV praemio coronatae.

Cap. I.

De compendio fabulari ab Ovidio in Metamorphosibus conscribendis adhibito.

P. Ovidius Naso in Metamorphosibus conscribendis quos fontes adhibuerit ut plane cumulateque perficiatur quaestio, prope adventavit momentum temporis inde a Kienzlei[1]) dissertatione publici iuris facta.

Res adhuc in dubio versabatur, quod nemini contigerat, ut fontium quaestionem recte iniret.

Verisimillimum est Ovidium, qui non esset primus conversionum conscriptor, perlegisse atque quam saepissime manibus versasse Nicandri Parthenii ceterorum exemplaria nec non Macri sodalis Ornithogoniam. Antiquitus vero unum tantum habemus fontium testimonium Probi, qui ad Verg. Georg. I 399 (= Schneider Nicandr. fr. 64) adnotat Ovidium in alcyonum volucrum origine indicanda altero loco (XI 270) secutum esse Nicandrum altero (VII 401) Theodorum. Hoc unum frustulum viros doctos satiare non potest, praesertim cum dimidium redimatur ea re, quod de Theodoro[2]) nil fere ad nostram aetatem pervenit alcyonumque fabula desideratur.

Ne amplius disseram de iis, qui ad Metamorphoseon singulas fabulas scriptorum veterum locos parallelos colligentes sese inventuros esse fontes speraverunt — et omnium fere scriptorum antiquorum vestigia quaedam deprehenderunt —: protinus properemus ad eos, qui Ovidium in universum non tam fontes diversos in consilium adhibuisse et coniunxisse quam unum auctorem secutum esse probare malunt.

Paulo post Carolum Lange[3]), qui compendium Hygineum,

---

[1]) Ovidius qua ratione compendium mythologicum ad Metamorphoseis componendas adhibuerit. Basil. 1903.

[2]) v. Susemihl, Gesch. d. gr. L. i. d. Alexandrinerzeit. I. p. 407.

[3]) de nexu inter C. Julii Hygini opera mythologica ... Mogunt. 1865.

et post Petersenum[1]), qui Parthenii Metamorphoseis ab Ovidio esse redditas censuerunt, novam atque rectam viam aperiens docuit Bethe[2]) Nasonem per totum fere opus secutum esse compendium quoddam fabulare Apollodori bibliothecae simillimum. Quam rem ut sequentibus temporibus viri docti diu nimis neglexerunt, ita tandem Vollgraff[3]) conatus est Bethei consilio uti. Sed „nimis in singulas fabulas inquisivit, contextum autem fabularum quibusque vinculis inter se cohaereant parum respexit.“[4]) Denique Kienzle hanc sententiam stabilivit dissertatione supra commemorata, scilicet poetam ex historia fabulari Apollodori bibliothecae simillima continentes partes accepisse, quas aedificiis suis substrueret: „apparet maximi esse momenti, ut compositioni Metamorphoseon animum attendamus quam diligentissime. Aulaei Ovidiani primum discernamus necesse est telas, h. e. compendii mythologici fabulas, tum quaerendum, quae licia telis addiderit quaeque ornamenta de suo intexuerit.“

Quaecunque Kienzle compendio fabulari attribuit, sine dubio sunt attribuenda omnia. Huc adde fabulas Jonis et Persei.[5]) Ne multifariam de hac re dilucida referam, conferatis quaeso fabularum tabulam, quam huic capiti addidi.

Ubi primum Kienzle has „telas“ secrevit, quaesivit de „liciis“ aliunde additis ornamentisque de Ovidii penu intextis.

Ac quantum attinet ad ornamenta, Kienzle viam saluberrimam ingressus esse mihi videtur. Nam lumina orationis, quae poeta semper in promptu habebat, si in Metamorphoseon contextu recte cognoverimus, facile non respiciemus in fontium quaestione. Et multum interest haec artificia quam primum colligi.

Deinde Kienzle in perquirendis singulis fabulis discrepantias vel latentes vel manifestas argute aperuit et inde contaminationem binorum fontium statuit. Nimirum Ovidium ipsum ad compendii fabulas poetarum opera, quae de eodem argumento essent, adscivisse sibi persuasit. Hinc quoque fluxisse consensus haud ita raros inter Ovidii Metamorphoseis

---

[1]) Quaestiones Ovidianae. Kiliae 1877.
[2]) Quaestiones Diodoreae mythographae. Gott. 1887. p. 97 sq.
[3]) De Ovidii mythopoeia. Berol. 1901.
[4]) Kienzle p. 4.
[5]) Ehwald in adnott. ad illas fabulas in editione factis.

et tragoedias, imprimis Euripidis et Sophoclis in fabulis Thebanis et in Procnae Meleagrique historiolis, nec non carmina Catulli in Scyllae Thesei Ariadnae, Homeri in Troicis fabulis etc.

Quamquam nihil dirimi potest earum quascunque discrepantias aut consensus Kienzle statuit, et quamquam hoc verisimile est poetam praeter compendium mythologicum etiam alios fontes adhibuisse, tamen hoc monere velim: fieri posse, ut non poeta ipse sed mythographus quidam et res inconcinnas et poetarum dicta in opus suum receperit. Nam mythographorum erat litterarum copiam uberrimam excerpere et compilare[1]). Inde vero, quod haec illave poetarum sententia in bibliotheca quae nominatur Apollodori non invenitur, Kienzle vix recte conclusit, eam non extitisse in compendio Ovidii. Nam artior est Bethei et Kienzlei sententia de compendiis mythologicis, quoniam omnia ex uno fonte esse derivanda putant. Ex hac artiore sententia is quoque Kienzlei error natus est, quod Ovidium omnes fabulas, quae in bibliotheca non extant, „aliunde“ repetivisse putat. Ex Vollgraffii dissertatione discere potuit, fabulas Lycaonis Phaethontis aliorumque, quae discrepantiis plenae in Apollodori bibliotheca aut omnino non extant aut differunt, tamen esse compendio fabulari attribuendas.

De compendiis enim mythologicis Eduardus Schwartz in Pauly-Wissowae Encycl. sub vocibus Diodori[2]) nec non Apollodori[3]) probavit, complura extitisse et quae plus minusve inter sese et ab Apollodori bibliotheca discreparent. Neque a primis initiis illa prae se tulisse speciem bibliothecae Apollodoreae genealogicam puramque, sed orta sub exitum saeculi II. a. Ch. n. ex historicorum chronographorumque operibus, quorum vestigia usque ad Apollodori bibliothecam pertineant, continuisse non genealogias amplas sed singulorum heroum cyclos fabulares, praeterea res geographicas et *ξένην ἱστορίαν*. Bibliothecae vero Apollodoreae fundamentum factum esse „cyclum epicum“, qui uno filo fabulas inde ab Urano Gaeaque usque ad Telegonum consereret.

---

[1]) v. Ed. Schwartz de Apollodori bibliotheca. Pauly-Wissowae Encycl. vol. I, 2 col. 2879.

[2]) vol. V, 1. col. 673 „Bethe nimmt ein Handbuch statt vieler an und übersieht, daß auch diese Literatur eine Entwicklung gehabt hat.“

[3]) vol. I, 2. col. 2878 ss.

Cum Ed. Schwartz non argumenta omnia comprobaverit, tamen tanta saltem gravitate illius iudicium est, ut — licet sane hoc illudve corrigendum sit — in universum neglegi nequeat. Imprimis discrepantiae inter Diodorum Hyginumque hinc et illinc Apollodorum constitutae vix cuiquam erunt abnegandae.

Itaque cum in quaestionibus nostris consensus inter Ovidium et Diodorum Hyginumve invenerimus et quae ab Apollodoro discrepant, fieri vix poterit, quin compendiorum evolutionem a Schwartzio recte cognitam esse concedamus Ovidiique fontem, quippe qui pro temporum spatio propior Diodoro quam Apollodoro sit, sub initio litterarum mythographarum ponamus.

Quamquam Kienzle ipse ad Apollodori bibliothecam nonnunquam Hyginum et Diodorum advocavit, tamen ex hoc utroque fructum vix cepit, quia discrepantias neglexit. Nam si in Ovidii fabulis Atticis tractandis utrumque ad Apollodorum attulisset, facile intellexisset, poetam non tam Apollodori bibliothecam suo arbitrio commutasse quam Diodorum Hyginumque accuratissime esse secutum. Kienzle enim p. 42—48 multifariam exposuit Ovidium quamvis in Thesei et Daedali fabulas inseruerit multas alias, quae in bibliothecae prioribus locis eiusdem gentis inveniantur, tamen in universum secutum esse compendium illud. Unam vero et gravissimam difficultatem neglegenter praeteriit: poeta a Medeae fabulis ad Atticas ita transiit, ut Theseum Athenas rediisse (VII 404) ad Aegeum patrem Medeamque novercam narraret. Nimirum sic ad fabulas Atticas reverso poetae narrandae fuerunt res a Theseo Athenis gestae; nihilo vero minus usque ad l. VIII 168 Thesei priores atque omnino priores Atticas reddidit fabulas. Kienzle poetam sua sponte volumen Apollodoreum iterum atque iterum revolventem collegisse ea quae sibi viderentur putat, equidem nego.

Ovidius Thesei res ante reditum gestas carmine civium festivo concepit. „Item poetae varianti, qui non omnium fabularum compendium componere sibi proposuerit, id tribuendum est, quod praeteriit Aegeum Medea suadente Theseum contra bovem Marathonium emisisse, sed huius expeditionis v. 433 s. demum inter Thesei res Isthmicas obiter mentionem fecit.“ Res sic se habere potest, nec vero necesse est. Potest enim usus esse indice quodam, quo Thesei labores enumera-

rentur, qualem exhibet Hyginus[1]) fab. 38 (p. 68 Schmidt). Omnes labores usque ad Minotauri necem uno filo sunt conexi, non commemoratur Theseum ante taurum Marathonium captum revertisse Athenas. Thesei vero reditum, quem Apollodorus suo loco post labores Isthmicos narrat, Hyginus f. 37, Diodorus IV 59 init. Apollodorus III 216 ante labores obumbrant. Fieri potest ut poeta ex nota eius generis in fonte reperta adventum herois ipsum finxerit, verisimilius vero est, poetam reditum hausisse ex Medeae fabularum fine (cf. Apd. I 147 et imprimis Diod. IV 55,6.)

Quam callide Ovidius fabulas aliunde induxerit, miratur Kienzle p. 43. Narrat enim poeta Minoem, ut Androgei necem vindicaret, Atheniensibus bellum inferentem multas insulas sibi adiunxisse, Aeginae autem Aeacum regem reppulisse Minoem auxilium petentem. „Jam apparet, quam ob rem Ovidius Aeacum Cephalumque induxerit. Occasione enim oblata Aeacus cum ipsius casus tum Myrmidonum ortum ex formicis ductum narrat (VII 523—660), Cephalus autem, cum Phocus, Aegei filius, iaculum eius admiretur, Procridis, a qua iaculum acceperat, ipsiusque fata profert (VII 686—862). Quas fabulas Ovidium aliunde inseruisse statuo. Nam non modo cum Theseo nullo pacto cohaerent, sed etiam contra temporis rationem Cephalus inducitur, Theseus autem tot in versibus ne uno quidem verbo commemoratur. Nimirum, cum narrationes illas insertas excoleret, herois Ovidius oblitus est". Rectissime! Ex genealogico compendio haec dispositio fabularum hausta esse non potest. Nonne vero ex cyclico?

Diodorus postquam l. IV. c. 59 Thesei labores enumeravit, pergit c. 60 hisce verbis: *Λείπεται δ' ἡμῖν εἰπεῖν περὶ Μινωταύρου τοῦ ἀναιρεθέντος ὑπὸ Θησέως, ἵνα συντελέσωμεν τὰς τοῦ Θησέως πράξεις. ἀναγκαῖον δ' ἐστὶ προσαναδραμόντας τοῖς χρόνοις τὰ συμπεπλεγμένα τούτοις διελθεῖν . . .* Secundum hoc consilium Diodorus stirpem Minois inde a Deucalione derivat usque ad Androgeum, cuius nece bellum oritur. Sic et Ovidius post Thesei labores belli causam VII, 457 sq. commemorat — Minois proavis quidem omissis —, cum Apollodorus ante Theseum III 209 has res exposuerit. Tum Diodorus pergit Minois pre-

[1]) Diodorus IV 59 haud secus atque Apd. in laboribus enumeratis ante taurum commemorat Theseum domum pervenisse.

cibus Jovem misisse *αὐχμὸν καὶ λιμόν. ταχὺ δὲ περὶ τὴν Ἀττικὴν καὶ τὴν Ἑλλάδα γενομένων αὐχμῶν, καὶ φθαρέντων τῶν καρπῶν, συνελθόντες οἱ τῶν πόλεων ἡγεμόνες ἐπηρώτησαν τὸν θεόν, πῶς ἂν δύναιντο τῶν κακῶν ἀπαλλαγῆναι. ὁ δ' ἔχρησεν ἐλθεῖν αὐτοὺς πρὸς Αἰακὸν τὸν Διὸς καὶ Αἰγίνης τῆς Ἀσωποῦ θυγατρὸς καὶ κελεύειν ὑπὲρ αὐτῶν εὐχὰς ποιήσασθαι. ὧν πραξάντων τὸ προσταχθέν, ὁ μὲν Αἰακὸς ἐπετέλεσε τὰς εὐχάς, καὶ ὁ αὐχμὸς παρὰ μὲν τοῖς ἄλλοις Ἕλλησιν ἐπαύσατο, παρὰ δὲ τοῖς Ἀθηναίοις μόνοις διέμεινεν.* Tum demum Athenienses sub potestatem Minois se dedisse.

Apollodorus III 212 ad *λιμόν τε καὶ λοιμόν* auferendum non legationem ad Aeacum missam sed sacrificium quattuor virginum affert[1]). Quamquam ergo Diodorus neque cum Apollodoro neque cum Ovidio consentit, tamen ansam praebere videtur ad Myrmidonum fabulam Ovidianam compendio adscribendam, quoniam secundum Schwartzii explicationem fabula, quam Diodorus praebet, compendiis commutata esse potest.

Utrum Cephali intra hunc conexum in Ovidii fonte mentio facta sit an non, diiudicari non potest. Fieri potest, ut poeta ipse hanc fabulam ex alio quodam conexu huc addiderit ad calamitatem Thebanam pestilentiamque Aegineam opponendam. Si poeta ex compendio Apollodoreo (III 197 sq.) hanc fabulam hausit, difficultatem praebent verba: *ἀποκτείνει Πρόκριν. καὶ κριθεὶς ἐν Ἀρείῳ πάγῳ φυγὴν ἀίδιον καταδικάζεται.* Exul enim legationem suscipere non potuit.

Kienzle contendit poetam Procridis fabula tractata redisse ad fontem mythographum in Scyllae Nisi filiae proditione tractanda. Quae vero deinde de Minotauro, labyrintho, de tributo Atheniensibus imposito poeta referret, ita comparata esse, ut tritas res eum proferre apertum sit. Attamen protulisse eas, ut ea afferret, quae cum Minoem introduxisset omisisset, neque aliter eum fabulas inter se coniunxisse atque Apollodorum (III 213—215).

Res non tam dilucidae sunt quam Kienzleo videntur.

Effugit enim eum, poetam, postquam VIII 4 s. Cephalum cum auxiliis Athenas revertisse narravit, filum amisisse. Nam de bello nihil iam profert, nisi v. 170 poetam belli finem pacisque condiciones respicere velis credere. Sin vero poeta,

---

[1]) Aeaci preces pro Graecia factas Apollodorus coniunxit cum Pelopis facinoribus (III 159).

id quod Kienzle vult, a bello suscepto (Apd. III 209 et 210a) excursu de Aeaco Cephaloque interposito ad compendium reversus Scyllae fabulam exposuit (Apd. III 210b, 211), post hanc ei narrandum fuit de pace tributoque (Apd. III 212, 213a). Haec poeta non narravit. Itaque si equidem supra recte conieci poetam in loco earum rerum, quas Apd. III 212 de peste sananda refert, rettulisse pestilentiam Aeaci, Ovidius (si Scyllae fabulam legit in fonte suo) Apollodori paragraphos 210b, 211 post Apollodori paragraphum 212 legit.

Num post Scyllam Ovidius in fonte legit pacem tributumque (= Apd. 213)? Vix legit, quoniam Scyllae fabula finita iam transit ad Pasiphaen (v. 121) Minotaurumque (v. 155).

At equidem contendo, Minois bellum omnino non spectare ad Atheniensium bellum. Hoc comprobatur Ovidii vv. VIII, 99 ss. et 118, ubi Minos de Creta tantum verba facit, non de navigatione Athenas versus, imprimis v. 152 sq., ubi Minos rebus bene gestis Cretae sacra facit; comprobatur Hygini fabula 198 (p. 126 Schm.), ubi hoc Minois bellum ab Atheniensibus prorsus est absolutum, comprobatur Diodori et Hygini silentio, qui uterque Nisi res inter Minois expeditionem Atticam praeterit, comprobatur ipsius Apollodori verbis: § 210,8 *μετ' οὐ πολὺ δὲ θαλασσοκρατῶν ἐπολέμησε στόλῳ τὰς Ἀθήνας, καὶ Μέγαρα εἶλε Νίσου βασιλεύοντος* ..... § 212 *χρονιζομένου δὲ τοῦ πολέμου, μὴ δυνάμενος ἑλεῖν Ἀθήνας εὔχεται Διί κτλ.*

Ex contextu verborum ipso apparet res Megarenses inepte huc irrepsisse; verba *χρονιζομένου δὲ τοῦ πολέμου* esse retinaculum quoddam ad res sequentes cum prioribus coniungendas apparet ex Diodori verbis allatis: *πρὸς μὲν Ἀθηναίους συνεστήσατο πόλεμον, ἀρὰς δὲ ἐποιήσατο τῷ Διὶ* ....

At quaesiveris, cur et Apollodorus et Ovidius Nisi fabulam inter Minois fabulas reddiderit. Hanc quaestionem solvere non possum. Fieri potest ut parvam lucem afferant Diodori verba: *Μίνως πολεμῶν ἐπαύσατο τὰς Ἀθήνας. διελθόντων δὲ ἐτῶν ἐννέα πάλιν ὁ Μίνως ἦλθεν εἰς τὴν Ἀττικήν.* Duo ergo bella finguntur. Inter utrumque bellum Nisi interponi potuit, quod, cum in Apollodori et Ovidii fonte utrumque bellum Atheniense in unum conciperetur, prope pristinum locum remansit intraque hoc unum bellum Aegei loco satis inepto irrepsit.

Iam revertamur ad Ovidium.

Kienzle nimirum putare videtur, poetam a Scyllae fabula

Apollodorea III 210b sq. protinus transisse ad Minotaurum e. q. s. (III 214b sq.), pace (III 212 sq) Minois cum Atheniensibus omissa. Equidem vero, qui pacis vestigium in Ovidii VIII 170 sq. statui, mihi persuasi Minotaurum etc. in Ovidii compendio extitisse ante pacem. Quamquam Diodorus haec ante pacem non refert — IV c. 76 demum totam Daedali historiam rettulit — tamen Hyginus, postquam in fab. 38 (p. 68 Schm.) inter Thesei labores Minotaurum commemoravit, fab. 39 transit ad Daedalum, f. 40 ad Pasiphaen, Minotauri originem, labyrinthum, tum fab. 41 demum Minois bello Atheniensi memorato ad tributum Theseique navigationem.

Demum VIII 171 Ovidium redisse ad eum locum unde in fabulis Thesei referendis profectus erat, sc. ad ep. Vat. I, 7, Kienzle scripsit p. 46.

Iam existimare non liquet Ovidium Minotauro descripto (Apd. III 215) transsiluisse, Apd. III 216 — ep. I 6 relictis, ad Thesei res Cretae gestas. Nam idem Hyginus Atheniensium cladem commemorat fab. 41 et iam „Theseum apud Minotaurum“ adnectit fab. 42 Ariadnamque f. 43, ceteris Thesei rebus gestis (Apd. III 216 — ep. I, 6) omissis, huc denique Daedali ceteras res f. 44 (p. 70 Schm.).

Nunc vero, cum Ovidii compendium circumumbrare conamur, Ovidius non tam Apollodori fabulas pro genealogiis stricte dispositas conturbasse quam secutus esse videtur dispositionem quandam, qua in Diodori Hyginique coniunctorum modum — singulis fabulis velut arrotundatis[1]) — fabularum cycli quidam erant constructi.

Haec narrandi ratio saltem rudior est quam Apollodori illa, qui omnia secundum temporum ordinem tractat. Schwartzii ergo sententia illa, qua evolutionem compendiorum statuit,

---

[1]) Eandem fabularum finitarum effigiem ceteris quoque Metamorphoseon partibus extare unum tantum quo demonstretur afferam exemplum Medusaei capitis: inter Persei fabulas omnia quae pertinent ad Medusam (IV 785 ss.) continentur una fabula, ita ut Ovidius v. 803 aegida iam adscribat Minervae, cum ipse Perseus postea plus semel (v. 232, 240, 248) ea utatur. Quam difficultatem Ehwald in adnott. commemoravit et pro nihilo habuit. Apollodorus vero singulas notas suis locis reddit: II 42 Medusae caput abscinditur, § 44 sq. hostibus a Perseo in proeliis ante oculos demonstratur, denique § 46 Minervae donatur.

nostro exemplo probatur. Ovidius vero non ad Apollodorum personatum recentem sed — id quod ad aetatem auctorum quam optime quadrat — ad Diodorum Hyginumque aspirat.

Haec nova sententia praeterea probari mihi videtur argumentis ex Metamorphoseon compositione universa haustis.

Kienzle poetam in fabulas Atticas inseruisse Argonautarum expeditionem et Medeae historiam transitibus usum ab Apollodoro (Ov. Mett. VI v. 719 = Apd. III 199 et Ov. Mett. VII 403 sq. = Apd. I 147) datis contendit. Res sic se habere potest, non debet.

Deinde Kienzle p. 49 sq. disseruit de fabulis Meleagri et Herculis a poeta coniunctis. Recte adnotat, Diodorum pari modo fabulas coniunxisse (l. IV c. 34 sq.). Conclusit „eodem fonte quo Diodorum, compendio scilicet mythologico, usum esse Ovidium."

Hisce verbis latet difficultas quaedam:

Diodorum inter Herculis fabulas Oenei nomine commotum ex eodem libro fabulari Meleagri sortem Oeneique stirpem velut *παρέκβασιν*, ut ipse dicit (c. 34 § 1), transtulisse, quam eandem rem comprobari Apollodori verbis (II 148 et I 64) Kienzle contendit. Quid? Diodorus ex compendio genealogico bibliothecae simillimo sua sponte fabulas sic composuit? Et Ovidius — „cum alter ex altero non penderet" — sua sponte fabulas componens hunc eundem ordinem iisdem Apollodori verbis commotus adhibuit? Res perquam est dubia. Equidem iam non dubito contendere Meleagri Herculisque cyclos coniunctos fuisse in fontibus Diodori et Ovidii, sicut Hyginus Herculis (fab. 29—36) et Thesei (fab. 37—51) fabulas coniunxit, Apollodorum autem eos secrevisse, ut utrumque rite intra stirpem suam tractaret; et adnotationes illas II 148 et I 64 esse reliquias prioris compositionis cyclicae. Neque hoc sufficit. Diodori totam compositionem fabularum cum Ovidio comparantes

Diod.:	Ov.:
Hercules	Theseus
Calydon	Argonautae
Argonautae	Calydon
Heraclidae	Hercules
Theseus	Heraclidae

facile cognoscimus poetam huius partis fabulas ordine historici retroverso reddere. Hae ergo fabulae omnes inter sese sunt

quam artissime coniunctae, nec sunt ab utroque scriptore ex genealogiis Apollodoreis compositae. Num vero Diodorus et Ovidius unum fontem respiciant mihi perquam est dubium.

Habemus vero graviora argumenta, quibus probetur Ovidium ignorasse stemmata Apollodori.

Apollodorus (II 1 ss.) Ionem filiam appellat Iasi, qui est septimus post Inachum fluvium, Ovidius filiam Inachi ipsius (mett. I 583 ss.). Hyginus ut f. 155 (p. 13, 4 Schmidt) Ionem appellat Inachi filiam, ita ceterum Ionis stirpem Apollodoream videtur novisse (cf. deor. catal. p. 11, 10; fab. 143 et 145 = p. 23 sq. Schm.).

Hyginus igitur quasi coniunctam praebet Apollodori et Ovidii versionem, ita tamen ut eum ad Ovidium propius vergere quam ad Apollodorum appareat: apud hunc enim gens Inachi inde a Nioba dividitur in duo genera, scil. Argi et Pelasgi, ut Io non tam sit progenies Inachi quam Argi; Hyginum vero Ionis propaginem ab Inacho fluvio deducentem Argi progeniem dividendam non curasse apparet ex locis citatis.

Neque igitur Ovidius neque Hyginus respexerunt stirpem, quam praebet Apollodorus. Is vero ipse profitetur II 2 Pelasgum, Niobis filium Argi fratrem, fictum esse ab Acusilao, II 5 Inachi filiam esse putatam Ionem a tragicis et Castore rerum scriptore.

Conspicientibus vero nobis Pelasgi gens intra Apollodori dispositionem facile apparet supervacanea et quasi adulterina. Quam suspicionem iam movet ipsum fabularum volumen: cum enim Argi gens tractetur libris II init. — III 95, Pelasgi gens[1]) complectitur paragraphis XIV (sc. III 96—109). Adde quod in hac gente non tanti heroes reperiuntur quam in Argi gente. Commemorantur Lycao Callisto Auge Atalante.

Ovidius has fabulas continuas non reddidit.

Convertamus nos ad Atalantae fabulam. Multo post Callistonem (II 401 ss.) Ovidius nobis tradidit Atalantae fabulam in Adonidis mythum insertam (X 560—707). De parentibus hoc unum traditur, patrem fuisse Schoeneum (v. 609), cum Apd. III 105 Iasum eum appellet, sub finem vero adnotet (III 109) ab Hesiodo aliisque habitam virginem Schoenei filiam. Hanc fabulae versionem hoc loco in praetereundo tantum comme-

[1]) Quam Arcadiae propriam adscripsit Pausan. VIII 1, 4.

moratam idem Apollodorus pro genuina et singulari exhibuit I 68 inter venationem apri et inter Argonautas I 112; quin etiam Schoeneum illum adscripsit I 84 patri Athamanti, Aeoli et Themistus filio.

Comprobantur hoc exemplo ea, quae Ed. Schwartz exposuit de compendiorum ortu: scilicet ex cyclis. Nam in venationis fabula Schoeneia omnibus nota, in Pelasgi vero gente explananda alia genealogia ei opus erat.

Hyginus utramque Atalanten commemoravit, f. 185 (p. 117 Schm.) Boeoticam, f. 99 Arcadicam, neque vero huius maritus Hippomenes est sed Meleager.

Hoc enim loco res ad Atalantem spectantes vix ullius momenti sunt, certe non gravioris quam quod Ovidius interdum Atalanten appellat Tegeaeam (VIII 317) i. e. Jasionis vel Arcadicam. Hyginus enim causam habuit, cur sibi ipsi contradiceret f. 99. Agit enim de Auge Alaci filia, i. e. de consanguinea Atalantae Arcadicae; scilicet Auges et Atalantae fabulae apud Hyginum nil habent commune.

Idem plane cadit in Pausaniam[1]). l. VIII de Arcadia agentem. Is enim quamquam fabulas Arcadicas satis copiose atque Apollodoro — quantum quidem ad stirpes pertinet — simillimas refert, tamen c. 35, 10 Atalantam Arcadicam negat Boeticamque Schoenei affert, paulum quidem miratus, quare illa eo pervenerit.

Denique et ratio habenda Diodori, qui Atalantem appellat non solum filiam Schoenei (IV 34,4), sed etiam Parthenopaei matrem (IV 65,4), quo loco Septem ad Thebas[2]) tractat; fabulam quidem Hippomenis non narravit.

De Atalanta igitur mihi satis videtur demonstratum, non esse gentis Pelasgi sed Deucalionis.

Iam vero convertamus nos ad Augen, alteram Pelasgi prolem, quam affert Apd. III 103. Huius fabulam Apollodorus bis refert, et in Herculis fabb. II 146 sq. et in Pelasgi gente III 103 sq., utrimque iisdem fere verbis. Pausanias l. c. Auges fabulam inter ceteras Arcadiae affert, quippe qui pro libri sui consilio fabulas aliter non conserat. Diodorus vero IV 33

[1]) Hunc „compendium mythologicum“ novisse penitus perspexit Bethe quaest. Diod. passim.

[2]) Atalantae fabulam in carmine „Thebaidis“ epico extitisse coniecit Bethe theban. Heldenlieder p. 86 adn. 11.

et Hyginus f. 99 sq. eandem inter Herculis res gestas proferunt. His nunc addo inveniri Auges fabulam coniunctam aut cum Herculis fabulis (Diod.) aut cum Herculis filio Telepho (Procl. Cypr. § 17—19; Apd. ep. 3,20; fabularum dispositio Hygini, qui Telegoni fabulam Auges et Theutrantis fabb. pro consanguinitate praemissis profert inter ceteras fabulas belli Troiani.).

Iam ni fallor satis apertum est et Ovidium et ceteros compendiis usos aut eas fabulas, quas Apollodorus sub Pelasgi gente conceperit, aliis stirpibus attribuisse aut omnino res genealogicas despexisse prae cyclis referendis.

Ut modo disserui, Ovidium Inachi gentem vix in Argi et Pelasgi stirpes seiunxisse, ita sequentibus probare velim, eundem etiam bipartitionem gentis Argi (in stirpes Beli et Agenoris factam) ignorasse.

Poeta inter fabulas Cadmi et Niobae, Agenoris prolis, recepit fabulas Persei, Beli nepotis, et Proserpinae.

Perseum Apollodorus iam antea tractaverat in Beli, qui est Agenoris frater, stirpe, Proserpinam inter deorum fabulas. Unde ex Kienzlei sententia erat concludendum, Ovidium ex Agenoris stirpe compendii resiluisse ad compendii fabulas Beli, deinde ad deorum stirpem.

At poeta Perseum v. 772 appellat Agenoridem, quam quidem difficultatem Ehwald obscurat in adnot., et v. 720 Inachidem, quibus e cognominibus hoc est sumendum, Perseum ex eadem gente esse qua Cadmum — i. e. stirpibus despectis. Haud secus Diod. IV 9 a Baccho per Acrisium transit ad Perseum. Similiter in Hygini compendio Persei fabulas (64) bipartitione stirpium neglecta secuntur fabulae Laii Agenoridis. Niobam antiquitus ad Procnae fabulam esse adiunctam Ehwald cognovit (adn. ad mett. VI 412). Denique modo vidimus, Herculem, Beli filium, coniunctum esse cum Theseo.

Si ergo Ovidius genealogiam Inachi, cuius posteri ab Apollodoro dividuntur in gentem Pelasgi et Argi, huiusque nepotes in gentem Beli et Agenoris, prorsus neglexit, quaerendum nobis iam est, quanam ratione poeta fabulas conseruerit.

Et primum si fabulas Inachi Ionis cum Lycaone Callistone a poeta invenimus coniunctas, suspicio movetur, poetam eas fabulas, quas Apollodorus pro genealogiis Argi et Pelasgi discripsit, alteram prope alteram legisse, quippe quibus aequa-

les et utriusque stirpis velut capita tractarentur. Huc quam optime quadrant fabulae Deucalionis, Cecropis, Aesculapii nec non Phaethontis, qui omnes sunt principes vel antiquissimi stirpium Apollodorearum.

Ex duobus ergo primis Metamorphoseon libris elucet dispositio quaedam synchronistica. Hoc idem notandum est de Dionyso Perseoque et Theseo Herculeque.

Ad sententiam meam stabiliendam afferam Eusebii Chronicorum canones (vol. II ed. Schoene). Nimirum illic pp. 13—30 mentio fit Inachi Apidis Phoronei Promethei Aethiopum Cecropis Athenarum Deucalionis Phaethontis, qui est Aethiopiae, Arcadis Apollinis;

pp. 32—44 Phoenicis Cadmi Europae (Cretae Minois) Semeles Dionysi Dactylorum *τὰ κατὰ Δήμητραν . . . . καὶ τὰ περὶ Δανάην, ἐξ ἧς ὁ Περσεύς*, Harmoniae Triptolemi Pelopis (Niobae?) Boreae et Orithyiae Procnes et Philomelae Tantali Latonae Acrisii Pegasi Dionysii itinerum;

pp. 44—52 de Aegeo Daedalo Hercule Centauris Lapithibusque Medea Daedalo Theseo Androgeo Minotauro Apro Calydonio Minoe in Siciliam profecto Phaedra etc.

p. 52 ss. de Menelao Agamemnone ceterisque rebus Troianis.

Eusebius se hausisse ex Castoris historiis saepenumero confitetur. Et ex eiusmodi chronicis compendium ab Ovidio adhibitum videlicet pendet. Scilicet non omnes singultates sunt synchronice dispositae, sed quaecumque coniungi poterant, sunt coniuncta, ita ut orerentur complures fabularum cycli, qui ordine ipso prioris illius dispositionis vestigia prae se ferrent. Quam optime has condiciones compendiorum invenimus in Georgii Syncell. vol. I p. 120 (ed. Dind.): *μετά γε Μωυσέα τοῦθ' εὑρίσκεται· κατακλυσμοὶ καὶ ἐκπυρώσεις Προμηθεὺς Ἰὼ Εὐρώπη σπαρτοὶ Κύρης ἁρπαγὴ μυστήρια νομοθεσίαι Διονύσου πράξεις Περσεὺς ἆθλα Ἡράκλεια Ἀργοναῦται Κένταυροι Μινώταυρος τὰ περὶ Ἴλιον*. Haec dispositio quam optime quadrat ad Ovidii Metamorphoseis. Conferas velim tabulae huic capiti additae dispositionem Mett. II—VI, ubi Apollodori librorum ordo est II III II I III, Eusebii paginarum ordo 26 28 22 34 36 38, et Mett. VII—IX, ubi Apollodoreorum locorum ordo est I III epit. I l. I II, Eusebii pagg. 46 48 50 48.

Iam ergo argumenta strictissima attulisse mihi videor verbis illis Schwartzii l. c. col. 2882:

„Weil diese (sc. compendia) ursprünglich Geschichtsbücher sein wollten, waren sie pragmatisch gehalten, wie das älteste uns bekannte, eben das, welches Diodor benutzte, verrät: die ilischen Tafeln enthalten Sage und Geschichte; ferner sind die auf diesen Tafeln und in der Bibliothek vorkommenden chronologischen Vermerke, die Benutzung der Chronika Kastors (II 5), der unleugbare Zusammenhang der genealogischen Reihen mit den Tabellen der Chronographen sichere Anzeichen der Tendenz und des Zweckes, den die Verfasser der ersten mythographischen Compendien verfolgten.“

His igitur perpensis nimium tribnisse Apollodoro suo Betheum et Kienzleum iam in propatulo est. Compendium enim illud, quo Ovidius usus est, tantum abest ab Apollodori bibliotheca, ut potius ad Diodorum et Castorem removeatur.

Quoniam poeta loco Urani et Gaeae fabularum praebuit philosophorum decreta de mundi origine usitata et coniunctim hominum creationem, Theogoniam aut posterioribus locis repetere aut omnino omittere erat coactus. Bethe (Herm. 39 p. 1 ss.) sua sponte poetam putat mutasse mythologiam cosmologia. At eandem mutationem exhibent Diodor. I, 7 et L. Ampelius in libro memoriali. Ampelius ut respicit Castorem, ita Castorem secuti Eusebius et Georgius Sync. praeterierunt in operis initio fabulas deorum.

Denique deliberemus, num Ovidius libris XIII 623—XIV 608 quos Kienzle diss. c. I esse sumptos ex Vergilii Aen. I—XII persuadere studet legentibus, ipse mutaverit interdum fabularum sedes (K. p. 12 adn.) ipseque inseruerit fabulas varias; et nonne Ovidius Vergiliusque[1]) unum eundemque fontem aut binos simillimos sub manibus habuerint, compendium dico fabulare quoddam, sive aliud atque illud ab Ovidio in fabulis Graecis adhibitum sive idem.

Castorem res Romanas protulisse apparet ex Eusebii chronicis. Ex Castore hausit Varro, cuius vestigia in Metamorphoseon libris posterioribus quam saepissime inveniuntur.

[1]) cf. Kroll. Fleck. Suppl. 27, 161 ss.

Huic quaestioni adiungam tabulam fabularum Graecarum, quas Ovidius in Metamorphosibus tractavit. Asteriscis ornabo eas quas Kienzle compendio attribuit, uncis quas ademit. Praetera adscribam locos bibliothecae Apollodori, Hygini, Diodori, Eusebii, ut quaecumque in ipsa dissertatiuncula obscuravi, ea iam reddam manifesta et dilucida:

	Mett. vv.	tituli	Apdi. bibl. loci	Apdi. bibl. gens	Diod.	Hyg. fab.	Euseb. pag.
I	4—75	Mundi origo	—		I 7		
	76—88	*Prometheus	I 45	Deucal.		144	**19**
	89—150	*aetates	(I 46)		(III 56)		
	151—162	(Gigantes)	I 34—38	deor	III 70,6		
	163—243	(Lycaon)	III 96	Pelasgi		176	
	244—312	*diluvium	I 47	Deucal.		153	
	313—415	*Deucalion	„ „				**26**
	416—451	Python	I 22	deor	V67.cf.I7		
	452—467	Daphne	—			203	
	568—746	Jo	II 5			145	**15**
	624—723	Argus	II 4; 6.	Argi			**22**
	676—712	Syrinx	—				
	747—750	Epaphus	II 8			149	
	750—II328	Phaethon	—		(III 57?)	154	**26**
II	329—366	Heliades	—		V 56	„	
	367—400	Cycnus	—			„	
	401—496	Callisto	III 100	Pelasgi		177	
	497—530	Arcas	III 101				**28**
	531—632	Coronis	III 118	Maiae Atlantis		202	
	548—588	cornix	—	—			
	552—561	Erichthonius	III 180	Cecropis			**22**
	589—595	Nyctimene	—	—		204	
	536—611	corvus	III 118				
	612—632	Aesculapius	„	Maiae	IV 71		
	633—675	Ocyrrhoe	—				
	676—707	Battus	(III 112)				
	708—832	Cecropis filiae	III 180	Cecropis			**22**
	760—796	Invidia	—	—			
	833—875	*Europa	III 2—4			178	**34**
III	1—137	*Cadmus	III 21—26		IV 2	u. a.	„
	138—252	*Actaeon	III 30—32		IV 81	180	
	253—315	*Semele	III 26 sq	Agenoris			„
	316—338	(Tiresias)	III 71				
	339—510	(Narcissus et Echo)	—			214	
	511—733	*Pentheus	III 36 sq		III 65		
	582—691	*Tyrrheni nautae	III 37 sq			134	
IV	1—415	(Minyeides)					
	45 sq	(Derceto)			II 3; 4.		
	47 sq	(Semiramis)					
	48 sq	(Nais)					
	50—161	(Pyramus et Thisbe)					
	171—189	(Mars et Venus)			V 48	148	
	190—233	(Leucothoe)			V 56		
	234—270	(Clytie)					
	276—278	(Daphnis Idaeus)					
	280	(Siton)					

	Mett. vv.	tituli	Apdi bibl. loci	Apdi bibl. gens	Diod.	Hyg. fab.	Euseb. pag.
IV	281 .	(Celmis) .			V 64 V 49		36
	282	(Curetes)					
	283	(Crocus)			cfr. IV 6	215	
	285—388	(Hermaphroditus in Salmaci fluvio.)					
	416—562	*Ino	III 28 sq	Agenoris		2 et 4	34
	563—603	*Cadmus	III 39			6	
	604—v249	Perseus	II 35—48		(IV 9)		36
	621—662	Atlas	—				
	663—764	Andromeda	II 43—44a				
	765—786	Phorcidae Gorgones Medusa Pegasus	II 37—42	Beli	III 55	63 sq	
	787—803	Aegis	II 46a				
V	1—235	Phineus et tumultus	II 44b				
	236—241	Proetus	II 48				
	242—249	Polydectes	II 45—46a				
	250—259	Hippocrene	—				
	260—293	Pyreneus	—				
	294—314	Pieriae contra Musas	—		(IV 7)		
	315—332	Typhoeus	I 39—44			152	
	346—409	raptus Proserpinae	I 29—33				
	409—437	Cyane	—				
	438—461	Ascalabus	—				
	462—486	Cyane	—				
	487—508	Arethusa	—	deor.	V 2—5; 68	146sq	36
	509—550	Ascalaphus	I 33				
	551—563	Sirenes	—			141	
	564—643	Arethusa	—				
	644—661	Triptolemus Lynceus. Pieriae	I 32				
VI	1—145	Arachne	—				
	70—82	Mars et Minerva				164	
	146—316	Niobe	III 45—47	Agenoris		9—11	36 ?
	317—381	Lycii agrestes	—		IV 73 sq		
	382—400	Marsyas	I 24	deor.	III 59	165	
	401—411	Pelops	(ep. 2,3)	Tantali		82 sq	36
	412—674	*Procne et Philomele	III 193—95				38
	682—710	*Orithyia	III 199	Cecropis			"
	711—721	*Boreadae	" "				"
VII	1—148	*Medea	I 127—147				
	149—296	*Aeson	I 107 et 143	Deucal.	IV 40—56	12-27	46
	297—394	*Peliae filiae	I 144				
	395—407	Medea ad Aegeum	I 147				
	408—419	(aconitum)	—				48
	420—455	*Theseus	I 147 et ep I 5			37-52	
	456—475	*Minos	III 9—11				
	476—660	(Aeacus Myrmidones)	—				
	661—868	(Cephalus et Procris)	II 58; III 179		IV 59—63	189	
VIII	1—151	*Scylla	III 210 sq	Cecropis		198	48
	152—168	*Minotaurus *Labyrinthum	III 213			37-52	
	169—182	*Ariadne	ep. I 7—9				
	183—235	*Daedalus et Icarus	ep. I 12 sq				50
	236—259	(Perdix)	(III 214)		IV 76—79		
	260—266	*Cocalus, Theseus	ep. I 14—24				

	Mett. vv.	tituli	Apdi bibl. loci	Apdi bibl. gens	Diod.	Hyg. fab.	Euseb. pag.
VIII	267—445	*Aper Calyd.	I 66	Deucal.	IV 34	171 u. a.	50
	446—525	*Meleagrus	I 65—71				
	526—546	*Meleagrides	—			174	
	546—573	(Achelous)	—				
	573—615	(Echinades)	—				
	616—720	(Philemon et Baucis)	—				
	721—757	(Proteus)	—				
	738—884	(Erysichthon)	—				
IX	1—97	*Achelous cum Hercule	II 148	Beli	IV 9—57	29—36	48
	98—133	*Nessus	II 151				
	134—158	*Deianeira					
	159—210	*Hercules Furens	II 159				
	211—229	*Lichas	II 157 sq				
	230—272	*Herculis apotheosis	II 160				
	273—323	(Galanthis)	—				
	324—393	(Dryope)	—				
	394—446	*Heraclides	II 161 ss.				
	447—665	Byblis	—				
	666—797	Iphis	—				
X	1—63	Orpheus et Eurydice	I 14	deor.		216	46
	64—77	Olenus et Lethaea	—				
	78—105	arbores	—				
	106—142	Cyparissus	—				
	155—161	Ganymedes	III 141	ElectraeAtlantis			
	162—219	Hyacinthus	I 17; III 116	deor. Maiae „		218	
	220—237	Cerastae	—				
	238—242	Propoetides	(III 182)	Cecropis		58	
	243—297	Pygmalion	(III 182)				
	298—502	Myrrha	III 183 sq				
	503—739	Adonis					
	560—707	Atalante	III 105—9	Pelasgi deor.	IV 34	185	
XI	1—66	Orphei mors	I 15				
	67—84	Maenadum poena	—				
	85—193	Midas	—				
	194—217	*Hesione	III 162	Asopi			42
	218—269	Peleus et Thetis	III 163—170				
	270—345	?Daedalion et Chione	—				
	346—409	(Pelei armenta)	—				
	410—748	(Ceyx et Halcyone)	(I 52)	(deor.)			
	749—795	*Aesacus	III 149	ElectraeAtlantis			
XII	1—23	*Draco Aulidensis	ep. 3,15	Cypria			50
	24—38	*Iphigenia	„ 3,21 sq				
	39—63	(Fama)	—				
	64—71	*Protesilaus	„ 3,30			89	
	72—170	*Cycnus	„ 3,31			u. a.	
	171—209	(Caeneus)	„ 1,22			115	
	210—458	(Lapithae et Centauri)	„ 1,21		IV 69		
	459—535	(Caeneus)	„ 1,22				
	536—576	(Periclymenus)	II 142				
	577—628	*Achillis mors	ep. 5,4	Aethiopis			
XIII	1—383	*armorum iudicium	„ 5,6				
	384—398	*Aiacis mors	„ „				
	399—428	*Troades	—	Ilias minor			
	429—575	*Polyxena et Hecuba	5,23				
	576—622	(Memnon)	—				

Cap. II.

De Ovidio in Metamorphoseon libro quinto Nicandri imitatore.

Unum ex Ovidii Metamorphoseon „emblematis“ [1]) in compendii fabulas insertis, sc. libri V. partem alteram, qua Musarum Pieridumque certamen continetur, esse haustum ex Nicandri *Ἑτεροιουμένων δ'* nuperrime Bethe in Hermae vol. 39 (1904) p. 1 ss. sagacissime conatus est probare.

Contra Ehwald ad Mett. V 385 adnotavit, a poeta in hisce fabulis adhibitum esse compendium quoddam simile illi, quod Diodorus bibl. V 3 sq. exscripserit. Atque haec quidem res locis parallelis allatis probata est.

Nihilo vero minus Bethe Nicandrum esse fontem contendit. Inde enim quod Mett. V fabulae Hippucrenae certaminis Typhoei Ascalabi olim exstabant in Nicandri *ἑτερ. δ'*, Bethe conclusit, singulis nimirum fabulis ab Antonino [2]) excerptis cum Ovidio accurate comparatis, certamen, quamvis ab Antonino commemoratum tantum, a Nicandro in Ovidii modum ample tractatum esse; Hippucrenae originem ab Ovidio ex certaminis Nicandrei fine in initium cycli esse promotam ad Persei fabulas cum sequentibus coniungendas; fugam deorum conversionesque ibi sicut apud Ovidium ab impiis Pieriis esse cantatam; Musas in Nicandri certamine haud secus atque in Ovidii Metamorphosibus respondentes cecinisse Typhoei poenam; una cum Ascalabi fabula in certamine Nicandreo Musas reddidisse complures fabulas ad Cererem pertinentes velut in Ovidii carmine.

Rem suam Bethe magna cum sagacitate ac mirabili ingenio gessit. Virorum doctorum, qui antea hanc quaestionem tractaverunt, commentationem solam Försteri [3]) respexit; sed

---

[1]) Quid Bethe de compendio putarit v. p. 3.

[2]) Antoninus Liberalis libro *ἑτεροιουμένων συναγωγή* inscripto Nicandri Metamorphoseon frustula memoriae tradidit.

[3]) Der Raub und die Rückkehr der Proserpina p. 80 ss.

ipse vidit, hunc non tam argumenta iusta quam meras opiniones praebuisse.

At ratio ei habenda fuit Plaehnii[1]). Is enim tres tantum fabulas illas Pieridum Typhoei Ascalabi, quae ex quarto Nicandri ἑτερ. libro afferuntur ab Antonino c. 9, 28, 24, ex Nicandro hausisse Ovidium sapientia ac moderatione concessit, quoniam incredibile esset duos ex poetis Graecis illius aetatis doctissimis tres fabulas plane dissimiles eodem loco narravisse et ineptum esset contendere, Ovidium metamorphoses scripturum ne unum quidem ex illis poematis Graecis transformationum fabulas narrantibus inspexisse. Et p. 30 in dissensibus inter Ovidium Nicandrumque extantibus in Ascalabi fabula enarranda sic existimavit: „Apparet etiam cur nomina dissimulet Ovidius. Qui cum paucis versibus post fabulam de Ascalapho narret, duo haec nomina simillima atque si Welckerum (Alte Denkmäler I 409) sequimur, eadem in una fabularum serie adhibere non potest. Quo efficitur praeterea, Ascalaphi quidem fabulam non ex Nicandro sumptam esse. Itaque Försteri (p. 84) opinio, in tota de Proserpina narratione Ovidium accurate Nicandrum secutum esse, de una certe ex mutationum fabulis refutata est. Ac ne de ceteris quidem liquet, utrum ex Nicandro an aliunde fluxerint.“

Sine dubio Plaehnii decretum multo est sanius quam Försteri somnium.

Bethe vero Plaehnii argumenta acuminis plena uno saltu superavit atque ad Försteri constructionem novis et melioribus fundamentis sublevandam contendit. Magis quam Förster operam dedit in Nicandri Ovidiique fabulis singulis inter sese comparandis. Consensus facile nimis aestimavit, discrepantias, quas a Plaehnio ventilatas vix scire videtur, minores atque ex ingenio poetae Antoninique mythographi neglegentia nimirum ortas esse censuit. In Typhoei tantum fabula ab utroque scriptore quam diversissime tractata diligentius litem aestimavit: quam fabulam, qua in Antonini epitoma deorum fuga simul et Typhoei poena coniungitur, in duas pristinas partes esse seiungendam, in Ovidii morem.

Et hac in fabula tractanda Plaehnii ratiocinationem

---

[1]) De Nicandro aliisque poetis Graecis ab Ovidio in Mett. conscrib. adhibitis. Halis Saxon. 1882.

longe superavit novo quodam argumento allato, quod ipse cum Herchero[1]) luctatus invenerat neque huc usque satis adhibuerat: argumentum illud, quo interesse inter Nicandrum et Antoninum Liberalem plane ad oculos nobis demonstravit. Denique Nicandrum novisse emblematum poeticorum artem locis ex Nicandri ἕτερ. allatis suo iure contendit.

Ut breviter repetam: ad Ovidii consanguinitatem cum Nicandro adhuc suspectam iam plane experiendam Bethe rectam viam nobis patefecit.

Huius ergo itinere aliquantulum progredi conemur.

1. De Nicandro et Antonino Liberali.

a) Typhoeus.

Bethe Antonini Liberalis fabulam Typhoei[2]) in duas partes seiunxit — Ovidii Metamorphosibus auxilio vocatis —; quarum altera enarrari timorem conversionesque deorum, altera monstri poenam. Has duas fabulas, quae a Nicandro seiunctae et — haud secus atque apud Ovidium — distributae essent inter Pierias et Musas, mythographum in unam continuam historiolam concudisse vulgarisque fabulae singultatibus exornasse. Quam contaminationem plane apparere ex verbis deorum fugae praecedentibus: *οὗτος* (sc. *ὁ Τυφών*) *ἐπεθύμησε τοῦ Διὸς ἔχειν τὴν ἀρχὴν καὶ αὐτὸν ἐπερχόμενον οὐδεὶς ὑπέμενε τῶν θεῶν, ἀλλὰ δείσαντες ἔφυγον πάντες εἰς τὴν Αἴγυπτον, Ἀθηνᾶ δὲ καὶ Ζεὺς ὑπελείφθησαν μόνοι·* nam aut omnes fugere aut duos remanere, utrumque vero unasimulque fieri nequire.

Jure Bethe in hoc dissensu haesit, (verba enim *Ἀθηνᾶ δὲ καὶ Ζεὺς ὑπελείφθησαν μόνοι* intra hanc periodam esse adulterina coniecit). Jure contendit totam rerum condicionem esse satis ineptam: Typhoeum ceteros deos esse persecutum, cum gravissimi adversarii Juppiter et Minerva remanerent. Jure deinde transitum a conversione ad pugnam verbis *ἔπειτα δὲ Τυφῶνα Ζεὺς βάλλει κεραυνῷ* factum vituperavit esse leviorem. Summo ergo iure Bethe hanc Antonini fabulam in duas partes disposuit.

At utramque esse fabulam vere Nicandream nego atque pernego.

Verba *Ἀθηνᾶ δὲ καὶ Ζεὺς ὑπελείφθησαν μόνοι* Bethe, quippe

[1]) v. Hermae vol. 38 (1903) p. 608 ss.

[2]) Anton. Liber. c. 28.

quae inepta atque addita essent eliminavit. Mihi Antonini verba legenti offensionem non praebent grammaticam, quoniam parataxin: omnes fugisse, Jovem et Minervam relictos esse solos, sic interpretor, velutsi auctor scripsisset, omnes praeter Jovem et Minervam fugisse. Nimirum artissime coniungenda videntur cum fabulae prooemio. Luce enim est clarius Jovem restitisse, cum Typhoeus in eius loco regnare cuperet. Et Antoninus ipse descripsit pugnam illam Jovisque victoriam. Et inepto illo transitu *ἔπειτα δὲ* facto a conversionibus ad pugnam rediit. Ergo ut fabulam reddamus unicam atque continuam, fuga conversioque deorum est dimovenda ex Antonini fontis contextu: iam omnia inter sese quam optime quadrant.

Sed noluit Bethe — haud satis scio qua de causa — hoc commemorare, etiam in Apollodori bibl. I §§ 39—44 inter vulgarem illam Typhoei fabulam Hesiodeam interpositam esse deorum fugam conversionesque. § 41: *θεοὶ δ' ὡς εἶδον αὐτὸν ἐπ' οὐρανὸν ὁρμώμενον, εἰς Αἴγυπτον φυγάδες ἐφέροντο, καὶ διωκόμενοι τὰς ἰδέας μετέβαλον εἰς ζῷα. Ζεὺς δὲ πόρρω μὲν ὄντα Τυφῶνα ἐβαλλε κεραυνοῖς* . . . . Sed hoc loco haec conversionis fabula cum altera tamquam est concocta: non expressis verbis narratur omnes fugisse deos, sed breviter *θεοί*, unde difficultas Antonini illa operiatur utrum etiam Juppiter fugerit an non; deinde conversiones non enumerantur sed comprehenduntur uno verbo *εἰς ζῷα*, unde illud mentem nostram effugiat utrum Juppiter aries sit factus an non. Aperte ergo id, quod ab Antonino inepte atque inique est coniunctum, ab Apollodoro quam optime quadrans redditum est. Per tempora discrepantiae illae sunt elimatae.

Jam vero finem utriusque fabulae comparantes cognoscimus, apud Antoninum omnia contendere ad Thyphoei *ἀφανισμόν*, proelii vero singultates quam maxime reticeri, et apud Ovidium inveniri eandem rem. Haec Bethe recte perspexit.

Num vero utriusque affinitatem ex Nicandro pendere recte affirmaverit equidem dubito. Nam eundem *ἀφανισμόν* enarravit Apollodorus; is vero pugnam ipsam amplissimis coloribus depinxit. Et hanc proelii descriptionem pariter in singulas quasdam fabulas alteram ab altera abhorrentes dividere possum, atque Antonini caput 28: § 41,7 *Ζεὺς δὲ πόρρω μὲν ὄντα Τυφῶνα ἔβαλλε κεραυνοῖς, πλησίον δὲ γενόμενον* fugat, vice vero deinde versa Juppiter sub potestatem Typhoei redigitur et in spelunca custoditur. Unde liberatus § 43 *ἐξαίφνης ἐξ οὐρανοῦ ἐπὶ πτηνῶν*

ὀχούμενος ἵππων ἅρματι, βάλλων κεραυνοῖς . . . ἐδίωξε Τυφῶνα . . . Qui fit, ut Juppiter subito in caelo fuerit et currum fulminaque secum habeat? Equidem censeo, cum primum Typhoeus impetum fecerit in Olympum, Jovem cum curru et fulminibus eum esse aggressum, haec vero altera fulmina, quae (si acute rem perpendis) eadem sunt atque priora, hoc loco ab interpolatore esse repetita ad contextum construendum. Neque aliter res se habet cum Nysa et Haemone montibus, quos Apollodorus § 43 sq. commemoravit: excursus finitur hisce verbis: *φεύγειν δὲ ὁρμηθέντι αὐτῷ* (sc. *Τυφῶνι*) *διὰ τῆς Σικελικῆς θαλάσσης Ζεὺς ἐπέρριψεν Αἴτην . . .* Quid? Subito Typhon iam non est in Thracia sed Sicilia? Ergo et Haemonis fabula cum cetera Apollodori bibl. laxe cohaeret.

Apollodorus ergo et Antoninus eandem componendi artem adhibuerunt, ille quinque hic duas fabulas compilavit: Antoninus non excerpta Nicandrea sed compendii fabularis capita quaedam edidit.

Bethe Antonini et Ovidii fabulas quam optime inter sese consentire contendit singulis rebus enumeratis his: timor et fuga omnium deorum Aegyptum versus, persecutio monstri, conversiones singulorum deorum, Dionysi in caprum Dianae in felem Mercurii in ibim; Antoninum omisisse Iunonem, Nasonem praeteriisse Martem Herculem Vulcanum Latonam; et quod Antoninus Apollinem in *ἱέρακα* Ovidius in corvum converti narret, hoc discrimen prae reliquis consensibus nihil valere.

Gravissimum vero dissensum, quem Plaehn p. 29 adnotavit, Bethe omisit — mirabile dictu — commemorare: Ovidius inter deos se convertentes primum profert Iovem; v. 327 sq.

„duxque gregis“ dixit „fit Iuppiter: unde recurvis
nunc quoque formatus Libys est cum cornibus Ammon.“

Antoninus et hunc deum et hoc acumen aetiologicum silentio praeteriit. Num Iovis conversio ea tantum de causa sit omissa a mythographo, ut conexus cum Iovis pugna eo facilior redderetur, perquam dubito. Nam primum non necesse est cogitatu, Ammonis fabulam cohaerere cum ceterorum deorum conversionibus: fieri potest, ut in litteris uberrimis duae extiterint historiolae, altera, qua di Typhoeum fugientes omnes praeter Jovem se converterunt, altera, qua Juppiter Ammon his adiunctam est. Deinde vero Antonini contextus optime concinit,

si reticetur conversio Jovis, quippe qui Typhoeo restiterit (§ 2); neque nostrum est huc discrepantias inserere — Bethei gratia.

Contra Ovidius Ammonis conversionem referre potuit, quoniam de proelio nihil promiserat. Et ea de causa nihil promisit, quod vix amplius quid in fonte legit, quam quod narravit, sicut et Hyginus in fabula 196 (p. 125 Schm.) de Typhoeo proelioque nihil praemisit.

Alter quidem dissensus haud contemnendus sed a Betheo praetermissus continetur in utriusque scriptoris fabulae regione descripta:

Ov. mett. V 322 donec fessos Aegyptia tellus
ceperit et septem discretus in ostia Nilus.

Antonini et Apollodori verba sunt: *εἰς τὴν Αἴγυπτον*. Poeta secundum septem ostia Nili enumerat septem deos conversos, hic octo vel — Jove Ammone subaudito — novem. Si Antoninus Nicandri artem nobis tradidit, Ovidius praeceptorem superavit arte; sin vero hic Nicandrum sequitur, mythographus enumerationem aliquanto rudiorem reddidit.

Jam adeamus ad singulas conversiones.

Ov.:		A. L.:	
Juppiter	aries		—
Apollo	corvus	1.	*ἱέραξ*
Bacchus	caper	5.	*τράγος*
Diana	felis	4.	*αἴλουρος*
Juno	vacca		—
Venus	piscis		—
Mercurius	ibis	2.	*ἶβις*
		3.	*λεπιδωτὸς ἰχθύς* Mars
		6.	*ἕλλός* Hercules
		7.	*βοῦς* Vulcanus
		8.	*μυγάλη* Latona

Consentiunt, si ordinem nominum omittimus, conversiones tres Bacchi Dianae Mercurii, quibus obstant dissensus septem. Iam quaeritur, unde fluxerint consensus, unde dissensus. Ehwald huc adnotat, apud Aegyptos, unde fabula ad Graecos venerit, capri figuram gessisse Menden deum, quem Graeci appellent Pana. Sed Ovidius Antoninusque caprum fuisse Dionysum narrant. Uterque ergo ad eundem fontem, fortasse Nicandrum, est reducendus. Deinde Ehwald addere pergit, felem fuisse sanctam Bubasti, quam Graeci Dianae adaequassent, ibim sanctam Aegyptorum numini Thoth, cui Mercurius aequiperet. Qui consensus inter Ovidium et Antoninum non necesse ex Nicandro fonte sed forte ex primaria huius

fabulae dictione emanaverunt. Ad Apollinis *ἱέρακα* Ehwald hanc avem esse symbolum Solis Aegyptorum adnotat; Ovidius autem Apollinem in corvum se convertisse narrat. Huc quadrat quod Apollo in Coronidis fabula Ovidiana corvo utitur sacro. Habemus ergo duplex compendii Ovidiani vestigium. Deinde primariae esse conversiones in piscem et vaccam factae, mihi videntur quae utraque et apud Ovidium et apud Antoninum extat, sed ab altero alteris numinibus adscripta.

In piscem converti Venerem Ovidius in fastis quoque (2,459) narravit, quo loco dea non in Nilum sed in Euphratem flumen fugit. Ehwald adnotat, in hac re fabulas Syriacas aliquid valuisse, quas idem poeta adierit in Dercetis piscinae fabula (IV 45). Coniunctas Venerem Euphratem piscem invenimus in Hyg. quoque f. 197, etsi condiciones ab hisce abhorrent. Sed Ovidium in hac conversione secutum esse compendium quoddam fabulare satis apparet.

In vaccam apud Ovidium Juno, apud Antoninum Vulcanus in bovem convertitur. Junonis conversione in memoriam revocari Isim cornigeram Ehwald adnotat. Hoc ergo loco poeta pristinam notam conservavit.

Ovidius quater lectiones vulgatas vel primarias bis compendii adhibiti refert, varias lectiones, semel cum Antonino (in Dionysi conversione) contra vulgatam stat; Antoninus ter vulgatam refert, in discrepantiis semel cum Ovidio, ter solus stat. Si quid ex Antonini fabula Nicandro tribuere licet, quattuor hae sunt conversiones Dionysi, Herculis, Hephaesti Latonae. Iam vero legas quaeso Antonini locutionem c. 28 § 3: *καὶ Ἀπόλλων μὲν ἐγένετο ἱέραξ, Ἑρμῆς δὲ ἶβις, Ἄρης δὲ λεπιδωτὸς ἰχθύς, Ἄρτεμις δὲ αἴλουρος, τράγῳ δὲ εἰκάζεται Διόνυσος, ἑλλῷ δ' Ἡρακλῆς, βοῒ δ' Ἥφαιστος, ὠγαλῇ δὲ Λητώ.* Nonne habemus duas conversionum enumerationes, quarum altera incipit verbis *τράγῳ δὲ εἰκάζεται . . .*?

Deinde alteram Typhoei fabulam sub Aetna monte iacentis ex Nicandro esse haustam contendit Bethe sed addit Antonini verba scholiis esse contaminata. Sint sane, sed consensus, quos Bethe inter Ovidii versus et Antonini fabulam purgatam statuit, non sunt nisi hoc unum factum: Typhoeum, qui caelum expugnare voluerit, iacere sub Aetna et flammas respuere. Ovidius neque commemorat, quibus condicionibus et quem ad finem Typhoeus genitus sit, id quod apud Antoninum § 1 copiose

legimus narratum, neque certamen, quod Ant. Lib. § 2—4 narrat, deinde ne hoc quidem, a Iove montem Typhoeo impositum esse, sed merum tantum factum „Degravat Aetna caput", cum Ant. Lib. § 4 *ἀφανισμόν* ample descripserit. Praeterea apud Ovidium tota Sicilia insula cum tribus promonturiis Typhoeo imponitur, quae eodem ordine exhibet Diod. V, 2,2, plane e compendio prolata. Apud Nasonem docetur causa terrae motuum (ergo fabula aetiologica!) apud Antoninum non additur. Dissensus igitur graviores sunt quam consensus.

b) Lamia vel Sybaris.

Haec fabula[1]) singularis[2]) extat tota veterum memoria, quamquam multae fabulae de Lamia variis versionibus ad nos pervenerunt nec minus aliae, quae easdem res aliis hominibus regionibusque adscriberent[3]). Hoc ergo loco fabula vere Nicandrea nobis tradita esse videtur, ab Antonino non interpolata. Finis fabulae est aetiologicus, § 7: *ἡ δὲ* (sc. *Σύβαρις*) *καταφερομένη προσέκρουσε τὴν κεφαλὴν παρὰ τὰ σφυρὰ τῆς Κρίσης, καὶ αὐτὴ μὲν ἐκ τοῦ τραύματος ἀφανὴς ἐγένετο, ἐκ δὲ τῆς πέτρας ἐκείνης ἀνεφάνη πηγή, καὶ αὐτὴν οἱ ἐπιχώριοι καλοῦσι Σύβαριν· ἐκ δὲ ταύτης καὶ Λοκροὶ πόλιν ἐν Ἰταλίᾳ Σύβαριν ἔκτισαν.* Novissima tantum verba *ἐκ δὲ ταύτης κτλ.* ad res antecedentes non nisi eminus spectare mihi videntur. Eundem vero nuntium, Sybarim Italicam prae se ferre nomen Phocensis urbis, apud multos scriptores invenimus (Hes. I 145; Diod. XI 90, XII 9—11; Strab. VI p 262 s. VIII 386,5). Vix ergo errabimus, si hanc ultimam notam Nicandri fabulae abiudicandam Antonino adscripserimus mythographo.

c) Minyades.

Narratio[4]) est satis obscura: Minyades contemnunt Dionysum, deum novum. Is virginis effigiem simulans illarum mentes conciliare conatur; nec contingit. Iratus deus ante sororum oculos in bestias se convertit etc. *καὶ μετ' οὐ πολὺ κλήρους εἰς ἄγγος αἱ τρεῖς ἐμβαλοῦσαι ἀνέπηλαν· ἐπεὶ δὲ ὁ κλῆρος ἐξέπεσε Λευκίππης, ἠύξατο θῦμα τῷ θεᾷ δώσειν καὶ Ἵππασον τὸν ἑαυτῆς παῖδα διέσπασε σὺν ταῖς ἀδελφαῖς.* Haec sane non est iusta

[1]) Anton. Lib. c. 8.
[2]) v. Roscher lex. myth. sub Lamiae voce.
[3]) v. Rohde Psyche p. 180.
[4]) Ant. Lib. c. 10.

actionis progressio! Praeterea hic transitus *καὶ μετ' οὐ πολὺ* plane ineptus in memoriam nobis revocat illum intra Typhoei fabulam simillimum, *ἔπειτα δέ*. Sunt ergo duae partes inter sese non quadrantes laxe una ad alteram appositae.

Minyades deinde relinquunt patris domum, in montibus furiunt, denique a Mercurio in aves convertuntur. Hac quoque in fabulae parte multae res luce carent. Mihi enim verisimile non est, eas patris domo consedisse, cum suas haberent familias, ibique non impeditas facinus commisisse. Eas nunc in montibus furere quamquam optime quadrat ad facinus antecedens, tamen ut illius causam non perspeximus ita ne furoris quidem conexum cum timore intercedentem intellego. Tum metamorphosis causa prorsus vacat, denique obscurum id quoque, cur hae aves lucem fugiant.

Ad has obscuritates dilucendas adsciscamus locos parallelos Plutarchi Aeliani Ovidii.

Et Plutarchus quidem in collectione aetiorum Graecorum c. 38 (p. 299 E) hanc quaestionem sibi proposuit: *Τίνες οἱ παρὰ Βοιωτοῖς Ψολόεις καὶ τίνες αἱ Ὀλεῖαι*; Respondet fabula enarrata hac: *τὰς Μινύου θυγατέρας φασὶ Λευκίππην καὶ Ἀρσινόην καὶ Ἀλκαθόην μανείσας ἀνθρωπίνων ἐπιθυμῆσαι κρεῶν καὶ διαλαχεῖν περὶ τῶν τέκνων· Λευκίππης λαχούσης, παρασχεῖν Ἵππασον τὸν υἱὸν διασπάσασθαι· καὶ κληθῆναι τοὺς μὲν ἄνδρας αὐτῶν δυσεμετοῦντας ὑπὸ λύπης καὶ πένθους „Ψολόεις“, αὐτὰς δὲ „Ὀλείας“ οἷον ὀλοάς. κτλ.*

Haec fabula ultra expectationem concinit cum Ant. Lib. § 3, quam simul dilucidam reddit: Minyades insania sunt captae et inde avidae sanguinis. Plutarchus silentio praeterit irrisionem Dionysi, opera domestica, patris domum, conversionem, commemorat vero maritos. Eandem vero sententiam, quam ad ceteram Antonini fabulam omnino non quadrare novimus, in Nicandri fabulam a mythographo esse interpositam recte iudicare mihi videor.

Aelianus v. h. III 42 narrat Minyi filias cum ceteris Boeoticis mulieribus furere noluisse, quod cupidine maritorum flagrarent. Dionysum ira incensum miracula iis ostendisse domi versantibus. Nec vero ea re eas esse commotas. Tum amentia concitata eas foras properasse, unum ex liberis necasse, cum ceteris maenadibus coniungi cupientes esse fugatas propter parricidium, quoad in aves converterentur. Huius fabulae initium consentit cum Plutarcho usque eo, ubi Bacchus miracula praebet.

Eas Plutarchus timore perterreri multo verisimilius narrat quam Aelianus non commoveri. Ibi sine causa puerum necant, hic amentia orta.

Apud Ovidium conversio succedit miraculis, nil additur de amentia parricidio orgiasmo persecutione maenadum. Quae actio est veri simillima. Itaque ex Antonini fabula non solum § 3 sed etiam consanguineam § 4 pro adulterinis velim eliminare. Antonini verba § 3 *πρὸς δὴ* [*ταῦτα*] *τὰ σημεῖα τὰς κόρας ἔλαβε δεῖμα* est velut retinaculum ab Antonino factum, haud secus atque Aeliani locutio contraria *τὰς δὲ οὐδὲ ταῦτα ἀνέπειθεν ἐλθεῖν ἐς τὴν λαθρείαν τοῦ δαίμονος*, quod utrumque necessarium est ad sequentia cum antecedentibus coniungenda.

Ut ex Antonini fabula huc usque virgas adulterinas excidimus, ita iam ex trunco relicto fabula vere Nicandrea nobis requirenda est. Ac sequamur Rappium, qui (Roscher, Minyades) idem consilium iniit: Minyades vituperant ceteras mulieres, quod urbe relicta per montes bacchantur; Dionysus habitu converso eas hortatur, ut festis intersint; nihil consecutus deus iratus se convertit in taurum leonem pardalem, dum nectar et lac de iugis manant.[1]) Ovidio advocato confirmamur hanc fabulam esse vere Nicandream rati. Hic quoque vituperant Minyades (mett. IV, 1) mulieres reliquas, quae in montibus vagantur (4—30); hic quoque Dionysus subito adest in monstra se convertens, non quidem monens sed protinus puniens, nisi vatis adhortationem (8 ss.) hinc fluxisse credere velis. Enumerat Antoninus conversiones tres, Ovidius reddit v. 404 saevarum simulacra ferarum. Iuga virentia, textilia in vineta et hederas se convertentia nihil sunt nisi explicatio eiusdem brevis notae apud Antoninum extantis. Sororum conversio subsequitur haec miracula et apud Ovidium et apud Antoninum, et Nicandro deberi verisimillimum est.

Consensus inter Ovidium et Antoninum, qui opponuntur Aeliano et Plutarcho, sunt conspicui. Attamen et Ovidius nonnulla propria protulit, quae partim ex arte poetica emanaverunt, partim, quod cum mythographis consentiunt, ut Minyadum nomina et conversiones iugorum coloribus Aeliani

---

[1]) Hippasi necem Rapp fabulae esse finem Nicandreae, conversionem ex Corinna mutuatam putat.

descriptae, ex compendio quodam sunt sumpta. Hoc ergo novo exemplo comprobantur placita quae antea statuimus: ab Ovidio et Antonino nobis tradi Nicandri fabulas, nec meras sed duabus inter sese diversis recensionibus mythographicis infectas.

d) Ascalabus.

Postremo in Ascalabi fabula consensus a Betheo enumerati non modo negari non possunt sed aliquantum augentur singulis locutionibus inter utrumque scriptorem comparandis. Nicander ergo fons esse potest. Sed consentit quoque uterque cum scholio ad Nicandri ther. 485 quam maxime, ita ut compendium quoddam fons haberi possit.

Ne longius in singulis rebus morer, iam in Antonini c. 25 prooemium genealogicum, quod nihil attinet ad pestilentiam ipsam, itemque epilogum Plutarchi referendi rationi simillimum, quo declaratur usus festivus quidam Orchomeniorum, decerpere velim a conversionis fabula velut adiectamenta mythographica. Identidem in c. 27 stirps Iphigeniae, quamquam paululum nobis insueta tamen concinna cum scriptis fabularibus, et eius vita aeterna in Leucippe insula Achillea nihil attinent ad *ἀφανισμὸν* narratum. Et in c. 29 prooemium exitusque fabulae iisdem de causis sunt dirimenda.

Ut Bethe in Typhoei fabula tractanda „Nicandrum cum scholiis“ esse adhibitum statuit, sic equidem hunc „Nicandrum cum scholiis“ esse receptum in compendia demonstrasse mihi videor.

Huc denique accedit, quod Antoninus Liberalis in eundem morem, quo Pediasimus Apollodorus Pausanias verborum tempora praesens et aoristum promiscue in narrando scripsit, id quod saltem est compendiorum nec litterarum.

---

2. De Ovidio et Nicandro.

Postquam itinere, quod Bethe patefecit, progressi vidimus Antonini fabulas esse ponendas in compendiorum numero, iam propius accedamus ad Ovidii fabulas e sententia Bethei ex Nicandro haustas.

Et primum negabimus Ovidium totum Cereris cyclum fabularem una cum Ascalabi fabula ex Nicandri ἑτερ. δ' recepisse[1]), quoniam haec Ascalabi fabula cum ceteris Ovidianis quam tenuissime mihi videtur cohaerere:

Ascalabi conversio agitur in Attica (cf. Ant. Lib. c. 24 *ἀνεπαύσατο ἐν τῇ Ἀττικῇ*); coniungenda igitur est cum ceteris Cereris fabulis in Attica versantibus (cf. Apd. bibl. I 30—32); Ovidius ergo sine dubio hanc fabulam in hunc priorem locum transtulit neque vero ipse Siciliae adscripsit, immo sub initium deam ex Sicilia in Atticam proficisci finxit:

v. 445 solis ab occasu solis quaerebat ad ortus.

Ascalabo converso denuo eam in Siciliam reverti opus erat:

v. 462 Quas dea per terras et quas erraverit undas,
Dicere longa mora est. quaerenti defuit orbis.
Sicaniam repetit.

Versus ergo V 444 sq. et 462—64a ab Ovidio sunt inventi ad Ascalabi fabulam cum reliquis copulandam.

Iam pergit poeta v. 464b

dumque omnia lustrat eundo
venit et ad Cyanen.

Hoc in fonte Ceres reperit Proserpinae vestigium quoddam, unde filiam esse raptam agnoscit. Idem vero poeta fast. IV 462 contendit Cererem filiam quaerentem initium cepisse ex Henna lacu ibique vestigia illius invenisse, tum demum pervenisse in Atticam (v 502).

Hoc novum est argumentum, quo demonstratur Ascalabi fabulam Atticam in metamorphosibus locum obtinere haud genuinum.

Tum de tribus fabulis illis, quae sine dubio ab utroque poeta sunt redditae, Typhoei et Ascalabi fabulas Ovidianas compendio attribuimus. Restat ergo, ut Musarum Pieriarumque certamen tractemus.

Bethe Ovidii fabulam consentire contendit cum Antonini c. 9: parem esse certaminis locum, Heliconem, par nomen Pieri patris Emathiaeque patriae, parem fabularum finem: cum Pieriae v. 664 s. clade accepta increparent (*ἐπεὶ δὲ νεῖκος ἤραντο θνηταὶ θεαῖς*) a Musis esse conversas; unicum dissensum, quo Pieriae apud Antoninum in novem diversas aves mutentur, apud Ovi-

[1]) v. p. 18.

dium in picas, nullius momenti esse; nihil denique valere utriusque scriptoris „omissiones“.

Neque hoc neglegere debuit Bethe, ipsum certamen nusquam alibi neque litteris neque artibus exhiberi nisi apud Antoninum et Ovidium: cum ergo Antonini fabula scholio attribuatur Nicandri ἑτερ. δ', plane et Ovidii fabulam ad Nicandrum pertinere.

Sine dubio consentiunt ea, quae Bethe tamquam consentientia enumeravit. Sed nomina erant adeo inter omnes divulgata, ut vix aliis Ovidius uti posset. Nec tamen verbotenus est secutus Nicandrum, quod hic sororum patriam appellaret Emathiam, ille vero Pellaea arva. Unicum argumentum in quo ambiguae sunt scriptorum veterum sententiae, in matris dico nomine appellando, quo cognoscere possumus, num altera fabula ex altera fluxerit, desideratur apud Antoninum. Restat ergo unus ille consensus, quo conviciis iactis Pieriae commutantur, quo utramque fabulam ex Nicandro fonte fluxisse putant. De discrepantibus nominibus novem volucrum Bethe et antea Plaehn idem censuerunt, Ovidium suo arbitrio picas tantum nominasse, ut Nicandri ieiunam illam enumerationem nominum vitaret.

Sed nescio an non subtilius perspicere possimus Ovidii artem: utraque conversione, et apud Nicandrum et apud Nasonem, continetur αἴτιον quoddam; apud illum unde καὶ ἔτι νῦν extent novem illae aves declaratur, apud hunc legimus, cur „nunc quoque“ picae sint loquacissimae. Nicandreae fabulae finis aetiologicus ad ceteram quam optime quadrat, sed ex certamine ab Ovidio descripto mea quidem sententia minime apparet Pierias fuisse loquaces. An quisquis certamine carminum vincitur loquax est habendus? Itaque Ovidianae fabulae epilogus non tam aptus est ad totam certaminis fabulam quam ad ultima tantum verba illa, quibus Emathides Musas contempsisse et risisse conatas loqui et magno clamore protervas intentare manus (v. 670) narratur. Et pica est una ales ex novem illis ab Antonino enumeratis. Inde mihi videtur conversio ab Antonino reddita esse vetustior, Ovidii vero narratio ex illa conformata, sive a poeta ipso excogitata sive quod picam garrulam esse adnotatum legerat.

Et praeter garrulitatem quoque picarum commemorat poeta facundiam alteram, quae nihil pertinet ad certamen Ni-

candreum, artem dico vocis humanae imitandae, quam rettulit transiturus a Phineo ad certamen:

v. 294 Musa loquebatur: pennae sonuere per auras,
voxque salutantum ramis veniebat ab altis.
Suspicit, et linguae, quaerit, tam certa loquentes
unde sonent. hominemque putat Jove nata locutum.
Ales erat. numeroque novem, sua fata querentes,
institerant ramis imitantes omnia picae.

Haud intellego, cur picae deam salutent, quoniam impiis cantibus obtrectaverunt deorum numinibus, et cur huc venerint ad fata sua querenda, postquam (v. 675) procul abierunt. Ipse poeta hanc sententiam huc minime quadrantem vix ipse invenit, sed facile ex eodem scholio hausit.

Primum ergo quaeramus de garrulitate illarum. Circumspicientibus nobis obviam non fiunt fabulae, quibus garrulitas picarum tractetur. Neque usquam adnotatur ex Nicandro, Pierias propter garrulitatem esse conversas. Neque hunc in certamine describendo hoc vitium tractasse probatur ex silentio Plutarchi, qui, quamquam Nicandri opera quam optime novit — conscripsit enim commentarium ad Theriaca —, tamen in commentatione de garrulitate mentionem neque Pieriarum neque Nicandri fecit. Cum igitur in Graecorum litteris picarum garrulitas nullius momenti esset, vix a viro quodam docto ad hunc Nicandri ἕτερ. locum adnotata mihi videtur.

Deinde quantum attinet ad picarum artem imitandi, haec iamdudum antiquis nota fuit. Habemus Lycophronem, qui Alex. 1319 eam commemorat uno verbo. In scholiis et compendiis invenitur. Scholio enim ad Alex. 1319 narratur, picam quandam voce humana loquentem Argonautis viam ostendisse; Pausanias 8,12 2 (3) sq. narrat fabulam satis obscuram, qua pica querelas infantis cuiusdam imitata Herculem allicuit; denique Plutarchus de sollertia animal. p. 973 C copiose tractat hanc picarum artem — neque ullus scriptor mentionem fecit Nicandri.

Plutarchus l. c. fabulam a se auditam esse Romae contendit. Et apud Romanos plures picarum mentiones invenimus. Plinius in n. h. l. X aves describens narravit c. 42 cardueles imitari mugitum taurorum et equorum hinnitum, psittacos voce humana uti facile discere. Qua de alite commemorat: „imperatores salutat“. Nonne haec elocutio in memoriam revocat

Ovidii illud „voxque salutantum“? At dixeris hunc narrare de picis, illum de psittacis. At Plinius psittacis tractatis adiungit picas tractandas, quarum imitandi artem copiose ventilat. Videtur ergo mihi Ovidius ad certamen depingendum iam non scholia Nicandrea sed historiam quandam fabularem, nec Graecam sed Romanam adscivisse. Quae sententia ea re confirmatur, quod in fabulis Romanis picam cum Pico deo coniunctam reperimus. Omnia vero, quae de hoc numine ad nos pervenerunt, extant apud Ovidium ipsum et Vergilium Serviumque commentatorem, qui respicit ad Varronem. Huius commento magis quam fonte Graeco commotus, ut novem illis variis avibus praeferret solas picas poeta esse mihi videtur.

Iam transeamus ad „omissiones“ Ovidii et Antonini, quas Bethe statuit: Antoninum omisisse arbitros, quamvis opus ei essent, Ovidium eventum cantuum a Musis prolatorum.

Antoninum arbitros Nicandreos silentio praeteriisse non concedo. Illi enim nymphis opus non fuisse puto, quoniam universus mundus cantui interest et arbitrium plane apertum loquitur. Ovidius contra nymphas auxilio convocavit — id quod maxime est usitatum apud poetas Alexandrinos —, quod forsitan, ut Bethe factum esse cupit, Hippucrenae originem ex suo loco in priorem transtulerat. Etiam Ehwald adnotavit nymphas a poeta esse additas „als Staffage“. Hoc saltem sic se habet; attamen puto, Ovidium non ultro hoc momentum hoc loco additurum fuisse, nisi nymphas in Helicone quam potissimum esse cultas conscius sibi fuisset. Quem cultum nos comperimus ex Strab. IX p. 410 et X p. 471, Paus. X 34,4, Verg. Ecl. 7,2, (in scholio Servius Varronem citat), Varr. de ling. Lat. 7,20.

Nonne et Ovidius sicut nos in Varrone sive in alio quodam compendio fabulari hanc notam invenire potuit? Deinde ab Ovidio maiorem in canendo vim Musarum esse praeteritam, ante Betheum iam Plaehn p. 29 vidit, qui causam sibi excogitavit hanc: poetam in Orphei fabula talia accuratius descripturum fuisse. Res sic esse potest; sed Ovidius in hoc nuntio praetereundo omisit illam ipsam partem, qua maxime Nicander fons emicavisset. Nam de Helicone crescente totaque natura Musarum cantum auscultante nusquam quid ad nos pervenit nisi per Nicandrum, contra de Orphei tanta canendi vi nemo dubitat. Ovidius ergo et hoc loco secutus est notas

vulgares, vitavit obscuras. Cum vero hoc non semel sed semper fere fecit, e compendio quodam eum hausisse quam ex Nicandro ipso equidem iudicare malim.

Restat, ut fontis originem Hippucrenae tractemus. Quem enim Pegasi ictu ortum esse narrant et Ovidius et alii; Antoninus vero quamquam Pegasi ictum commemoravit, tamen Hippucrenae mentionem non fecit. Recte iudicasse puto Betheum, qui Nicandrum Antonino invito fontis originem enarrasse censuit. Hinc vero Bethe conclusit, Ovidium, qui Hippucrenae originem in Nicandri fabula eodem loco legisset quo Antoninus eam promovisse in huius cycli initium, ut aptum sibi fingeret transitum a Persei fabulis ad hoc certamen. Rem sic se habere nego. Nam Ovidii mett. V 265 ss. nulla re cum Antonino consentiunt nisi hac una, quod Pegasum fuisse fontis auctorem Bethe sumit — id quod Antoninus commemorare oblitus est! Ovidius enim narrat, Minervam Persei comitem interfuisse neci Medusae, tum vidisse eam Pegasum ex illius sanguine in lucem editum, nunc eam audivisse ab illo in Helicone monte fontem esse factum ungulae ictu. Haec omnia quantum ab Antonino abhorrent, tantum ad Hesiodum ceterosque genealogiarum scriptores spectant. Hes. Theog. v. 6 Hippucrenen appellat sacrum Musarum fontem, v. 281 Pegasum esse ortum ex Medusa per Perseum, nec ullum facit verbum de Hippucrenae ortu. Idem scriptum videmus ab Apollodoro et Hygino. Inde mihi comprobatur, Hippucrenae originem a Pegaso factam non esse fabulam divulgarem et Antoninum, quem etiam aliis locis cum Apollodoro consentire supra vidimus, hoc loco originem non sua sponte esse oblitum sed secundum fontem bibliothecae simillimo.

Ovidius vero originem enarravit. Ergo, dixeris, non e compendio hausit sed ex ipso Nicandro. Sed fontis originem invenimus penes scriptores illos, qui una cum Ovidio de nymphis Heliconicis rettulerunt, apud Pausaniam (IX 31,3) et Strabonem (VIII p. 379.) Sed dixerit quispiam: quoniam utramque notam, et Pegasi creationem et Hippucrenae, attribuerim compendio cuidam, utramque necesse apud scriptores illos coniunctam esse exspectare nos, sed falli, cum neque Hesiodi Apollodorique parte Hippucrenae originem neque altera Pegasi ortum inveniamus. Respondeo: has esse duas fabulas

a primis initiis inter sese non coniunctas, utramque demum contaminatam esse ab Ovidio vel eius fonte et Antonino. Et coniunctam invenimus utramque in commentariis Arateis. Catasterismorum qui Eratostheni adscribuntur c. 18 sic incipit: *Ἵππου. .... Ἄρατος μὲν οὖν φησι τὸν ἐπὶ τοῦ Ἑλικῶνος εἶναι ποιήσαντα κρήνην τῇ ὁπλῇ, ἀφ' οὗ καλεῖσθαι Ἵππου κρήνην. ἄλλοι δὲ τὸν Πήγασον εἶναί φασι κτλ.* Hinc Equus par ponitur Pegaso ab Hygino astron. c. XVIII: Equus. Hunc Aratus et alii complures Pegasum, Neptuni et Medusae Gorgonis filium dixerunt; qui in Helicone Boeotiae monte ungula feriens saxum fontem aperuit, qui ex eius nomine Hippucrene est appellatus etc. Denique Neptunus pater removetur Persei gratia: Germanici Caesaris Arateorum v. 218 ss.

> Gorgonis hic proles; in Pierio Helicone,
> vertice cum summo nondum decurreret unda,
> museos fontis dextri pedis ictibus hausit.
> inde liquor genitus nomen tenet: Hippocrenen
> fontes nomen habent.

Fieri potuit, ut veteres stellarum situ commoti Pegasum cum Medusae capite et Perseo coniungerent, ut hanc novam fabulam deinde in commentarios et denique in compendia reciperent. Ovidius ergo facile Pegasi fabulam neque ex certamine Nicandreo neque e rebus a Perseo gestis in compendio fabulari narratis hausit, sed ex commentario Arateo, quo Pegasi fabula prope Persei res tradita erat.

---

3. De Nicandri *ἕτερ.* IV.

Quamvis in singulis rebus fabulas Ovidii cum Nicandro non tam esse similes quam voluit Bethe demonstravi, tamen alterum illud Bethei decretum non labefeci, quo non casu quattuor fabulas in Ovidii mett. V et easdem in Nicandri *ἕτερ. δ'* extare contenderet. Certe Ovidius hac in re imitatus est Nicandrum. Nec vero totum Cereris fabularum cyclum ex Nicandri *ἕτερ. δ'* mutuavit. Nicander vero, si in *ἕτερ. δ'* Nasonis certamen protulisset, vix aliis fabulis spatium in eodem libro reliquisset. Nihilo vero minus tres tantum Nicandri fabulae reperiuntur in Ovidii mett. V, restant Antonino teste non nimus quam quinque fabulae, quae omnes ad Ovidii certamen minime ver-

gunt. Sunt autem ex Nicandri *ἑτερ. δ'* ab Antonino haustae fabulae haece:

c. 8. Lamia vel Sybaris.	c. 25. Metioche et Menippe.
9. Emathides.	27. Iphigenia.
10. Minyades.	28. Typhon.
24. Ascalabus.	29. Galinthias.

In ambiguo versatur Hylae fabula (c. 26), quae modo quarto modo alteri *ἑτεροιουμένων* libro in codicibus attribuitur.

Schneider (Nicandrea p. 43) *ἑτεροιουμένων* compositionem fuisse artificiosam disertis verbis negavit et Volkmannum, qui in singulis Nicandri libris geographicas fabularum congestiones aperire studuit, acriter vituperavit. Sibi enim persuasit nihil interesse inter Nicandrum et Antoninum Liberalem. Prooemia enim singularum fabularum plus minusve extenuata ei demonstrare videbantur, unamquamque fabulam fuisse epyllium quoddam circumclusum nec cum ceteris coniunctum. Deinde fabularum epilogos respiciens conatus est Nicandri et Boei fabulas prae ceteris adumbrare: „Videmus de cultu deorum heroumque et festis diebus quaedam narrari cum transformationibus coniuncta, qualia cum in reliquis apud Antoninum fabulis non legantur, iure affirmare vobis videmur hoc non minus proprium Nicandri fabulis fuisse quam Boei fabulis ornithogonicis, quas et ipsas Antoninus excerpsit, proprium hoc fuit monere, ex hominibus conversae aves quae *αἴσια* fuerint, quae non fuerint. Unde ut Boeo vindicamus fab. VI, quam non dicit Antoninus ex quo petierit, ita Nicandro confidenter adscribimus fabul. XL, cuius item auctorem Antoninus celat, praesertim cum illa fabula non tam *μεταμόρφωσιν* quam *ἀφανισμὸν* aliquem contineat, qualis in Nicandri *ἑτεροιουμένοις* ab Antonino servatis saepius quam in reliquorum auctorum videmus mentionem factam sive per se positi sive cum metamorphosi quadam vel cum aliquo alio artificio coniuncti.“ Postquam vero Bethe nos docuit distinguendum esse inter Nicandrum et Antoninum, postquam ipse separanda utriusque propria iniit, postquam et ego hoc itinere profectus nonnulla distribuisse mihi videor, Schneideri fundamentum est eversum.

Nunc demum singularum fabularum Nicandrearum nucleos inter sese comparare possumus. Hic enim nucleus est in Ant. Lib. c. 8 origo Sybaris fontis, in sequente fabula origo Hippucrenae: Ergo fabulae 8 et 9 imagines sunt inter sese

simillimae. C. 10 narratur nefas Minyadum contra Bacchum earumque conversio, c. 24 nefas Ascalabi conversioque: alteras habemus imagines duas inter sese simillimas. C. 25 narratur de sacrificio Orionis filiarum et de origine cometarum ab inferis pro remuneratione datarum, c. 27 de sacro Iphigeniae et remuneratione: sine dubio tertias habemus imagines quasdam simillimas. C. 28 narratur de Typhoeo deos perterrente et ad conversiones cogente, c. 29 de Galinthia numina natalia perterrente et conversa ipsa: quartum denique habemus imagines duas simillimas. Talia nusquam alibi reperiuntur, neque quisquis adhuc conatus est ceterorum ἑτερ. librorum fabulas in compositionem quandam artificiosam redigere, rem ad finem perduxit

Inde conicere velim Nicandrum ἑτερ. δ' certamen Musarum ab Antonino c. 9 commemoratum ample explicasse singulis cantibus allatis, nec vero eum tractasse Cereris fabulas, sed eas quas Antoninus nobis tradidit capitibus 10, 24, 25, 27—29. Hac ipsa de causa, quod ex Nic. ἑτερ. δ' multo plures fabulae sunt exscriptae quam ex prioribus libris, mihi apparere videtur, mythographum excerpsisse fabularum compositionem quandam unicam et continuam, velut certamen. Quam optime huc quadrant ter binae fabulae parallelae: altera enim pars adversariarum fabulam quandam cecinit, altera novo exemplo idem argumentum magis dilucidum reddere studuit. Plus semel partes inter sese variant: hoc certaminum genus usitatissimum est in Theocriti idyllis.

Audeo id quoque enucleare, quasnam fabulas poeta Pieriis attribuerit, quas Musis. Ac primis quidem duabus in fabulis agitur de numinis contemptore punito. Altera pars exempli gratia profert Minyadum fabulam, quae Bacchum contempserint, quamquam monitae sint; deum ipsum ante illarum oculos se manifestasse artibus, tum eas punivisse. In altera fabula puer quidam Cererem irridet iamque punitur. Hic ergo propositio clarior est reddita ac simplicior. Praeterea hic suavis illa segetum regina praedicatur, ibi novus quidam deus mirus et furens multo cum strepitu celebratur. Ascalabi ergo fabulam Musis victricibus, Minyadum fabulam Pieriis victis attribuere velim. In eundem modum distinguuntur ceterae fabulae: c. 25 Metioche et Menippe sua sponte se sacrant inferis Aoniorum gratia; revera moriuntur, mortuarum miseret inferos; qui

corpora retinentes pro remuneratione fingunt cometas. Quam urbanior est Iphigeniae fabula! Diana miseram iam ante necem clementer servat, ad templum suum tollit, pro remuneratione hostium relinquit. Item in ultimis binis fabulis, Typhoeus superos fugat inque conversiones ridiculas cogit; Galinthias numina natalia perterrens pro poena ipsa convertitur.

Restat denique Sybaris fabula (c. 8.), quae simillimam narrationem continet atque Hippucrenae originem c. 9. Hanc vero utramque fabulam certamini inserere minus liquet, quod Hippucrenae origo a Musis cantata esse vix potest, cum eam ex suo loco non esse movendam mihi quidem apparet ex Antonini verbis eleganter fluentibus. Quamquam ergo haec Hippucrenae origo in certaminis fine ante Pieriarum conversionem est ponenda, tamen vergit ad Sybaris fabulam, quae certamini est praeponenda, velut ab Antonino[1]) praeposita est. Habemus igitur hanc tabellam:

Nic. ἕτερ. δ':	Ov. mett. V:
Sybaris fons	Pyreneus
Pieriarum certamen:	Pieriarum certamen:
Pi. Minyeides	Pi. Typhoeus (Ammonis et celerorum deorum conversiones)
Mus. Ascalabus	Mus. Typhoeus (Aetna)
Pi. Orionis filiae	„ raptus Proserpinae
Mus. Iphigenia	„ Cyane
Pi. Typhoeus (deorum Ammone excepto conversionis et Aetna)	„ Asculabus
	„ Cyane
	„ Arethusa
Mus. Galinthias	„ Ascalapsus
Medusaeus fons	„ Sirenes
Pieriarum conversio.	„ Arethusa
	„ Triptolemus
	Lynceus[2])
	Pieriarum conversio.

[1]) Quamquam rem meam tam confidenter proposui, tamen ipse conscius mihi sum multa esse accuratius intuenda. Quantum attinet huc, quod Hylae fabula in IV. libro ἑτεροιουμένων narrata esse potest, equidem non contendo totum certamen Nicandreum nobis servatum esse intactum, etsi trinitas alternorum cantuum optime quadrat ad novem sorores. Deinde de ordine fabularum addere velim, fieri potuisse, ut Antoninus fabulas Nicandreas promiscue proferret; equidem Antonini ordinem servavi, quod in eo relationes fabularum inveneram.

[2]) Pyrenei et Lyncei fabulas esse inter sese simillimas perspexit Ehwald. Lyncei neque Hippucrenae fabulo certamini debetur.

Videor mihi disiecti membra poetae, quae in Antonini collectione invenimus, in pristinum corpus denuo redegisse. Id quod Bethe coniecerat ex paucis illis argumentis demonstrandaque curaverat, ea iam ante oculos habemus: opus quoddam summae artis et Ovidii exemplar Graecum.

Vita.

Natus sum Fridericus Arthurus Laudien a. d. XV. Kal. Dec. anni MDCCCLXXXI in oppido Borussiae orientalis, cui nomen est Bartenstein, patre Augusto matre Emma de gente Sakolowski, quorum adhuc superstitum fruor amore. Fidem confiteor evangelicam. Primis pueritiae disciplinis in schola publica, cui pater praeerat, imbutus, inde a vere anni MDCCCXCI gymnasium regium oppidi patrii frequentavi. Vere anni MDCD maturitatis testimonio instructus Regimontium migravi philologiae classicae operam daturus. Post quinquies senos menses almam matrem Gryphiensem adii, cuius inter cives usque ad hunc diem studiis philologicis incubui.

Docuerunt me viri doctissimi Baumgart Bezzenberger Brinkmann Busse Ludwich Jeep v. Negelein Prellwitz Roßbach Schade Tolkiehn Walter Regimontani, Gercke Körte Kroll Pernice Rehmke Reifferscheid Schmekel Schuppe Seeck Gryphienses.

Ad seminaria exercitationesque epigraphicas philologicas archaeologicas germanicas historicas philosophicas aditum benigne mihi permiserunt Brinkmann Ludwich Jeep Gercke Kroll Körte Pernice Schade Seeck Schuppe.

Quibus viris omnibus gratias et ago et semper habebo, maximas vero Gerckio praeceptori venerato qui insigni benevolentia et opera et consilio in hoc opusculo conscribendo me adiuvit.

3 0112 126255683

Sententiae Controversae:

1. In Aristoph. Ran. post versum 663 lacunam editores falso statuerunt.
2. Isocratis epistolam IX. genuinam esse recte probavit Blass (Mus. Rhen. vol. 54 p. 33 ss.).
3. Inscriptionis Oenoand. fragmentum 21 lego: [*αἱ ψυχικαὶ*] *διαθέ-*[*σεις μέντοι ἀν*]*τικρύς* [*εἰ*]*σι τοιαῦται καὶ μὴ παρόντων, οἷαι καὶ παρόντων. ἁπταὶ γὰρ οὐκ οὖσαι, διανοηταὶ δέ, τὴν αὐτὴν, ὅσον ἐφ' ἑαυτα*[*ῖ*]*ς, ἔχουσι δύναμιν πρὸς τοὺς παρόντας* (*τοὺς* [*μὴ*] *παρόντας* Usener Mus. Rhen. vol. 47 (1892) p. 427) *τῇ ὅτε καὶ παρόντων* (*καὶ* [*μὴ*] *παρόντων* Heberdey et Kalinka Bull. Corr. Hell. vol. 16 (1897) p. 369) *ἐκείνων ὑφειστήκεσαν. κ. τ. λ.*
4. Inscriptionis Oenoand. fragmentum 26 in stoae extremo parietis lapide incisum erat.
5. Plauti Trinummi vv. 239a—241

   Blandiloquentulus, harpago, mendax,
   Cuppes, avarus, elegans, despoliator,
   Latebricolarum hominum corrumptor
   Blandus inops, celatum indagator.

   sunt dactyli.
6. Ciceronis „de legibus“ libri I. contextum concinnum reddere conati Schmekel (Die Philosophie d. mittl. Stoa p. 47 ss.) paragraphis 24—27 et 57—63 eliminatis et Reitzenstein (Drei Vermutungen z. röm. Literatur I.) conservando omnia erraverunt.
7. Hyginus non duo conscripsit opera, sc. „genealogias“ et „fabulas“, sed unum compendium fabulare, cuius capita secundum genealogias composita erant.
8. In Mett. I 416—436 altera animalium creatio ab Ovidio non ex philosophorum placitis ipsis, sed e compendio quodam hausta est (cf. Diod. bibl. I c. 7).
9. Horatii epist. I 19 v. 12 ss. scribo:

   Quid? siquis voltu torvo ferus et pede nudo
   Exiguaeque togae simulet texto ore Catonem
   Virtutemne repraesentet moresque Catonis?

   textore] *A'E γ* ε2 ς; ex ore *λ'* F' ε1.